



prorsus pertinent [!], ergo ad suum genus committenda est Planta, meumque nomen delendum, quod tui juris omnino est, sed ego minimus inter botanicos botanicam Apoteosim minime promæreor. Psoraleæ vero Palestinæ, et Betonicæ Barello: 340: quarum tibi jam misi semina, et denuo, si jubes, vir præstantissime, ea demittam, tuam expecto sententiam, ut admonear, si sint, ut autumo, genuinæ Plantarum speties, vel tantum varietates.

Legi, et perlegi Characterem Dalechampiæ perbelle exaratum, in quo Linneana doctrina quam maxime relucet, et gaudeo summopere, quod omnia Dalechampiæ delegata semina expectationem, votaue mea adimpleverunt; idem spero de Seminibus Trichosanthis Anguinæ, quæ ad te tribus ab hinc hebdomadis allegavi. Nunc ad Vermes testacea, quæ spectant, breviter non nulla tibi communicabo. Tuus Argonauta Cymbium, cujus Iconem exhibet Gualterius² Tab: 12: D. ad Testacea polythalamia, ni fallor, pertinet. Ego certe in sedimento maris Erythræi inveni testacea adamussim figuram Gvalterii, referentia, et primo intuitu illius minima cymbia esse judicavi; sed dubito, Gvalterium ipsum, qui horum vermium unum tantum vel duo vidit, externa facie deceptum fuisse; de hac re suspicatus internam exploravi structuram, et plane cognovi, testaceum, de quo est sermo, polythalamium esse, valde depressum, et Siphone laterali donatum, quod ego Nautilum Arpam vocavi; ergo vel ab Argonautis delendum hoc testaceum, si illud Gvalterii, ut opinor, vel inter Nautilorum novam elegantissimam spetiem est ennumerandum. Exemplar litteris non est committendum, namque nimis fragile, sed Icones hic habebis.



Cymbium Gvalt: Tab: 11: A. B. et Tab. 12: D. A. unam eandemque esse spetiem Argonautæ primæ non dubito, sed Cymbium Gvalt: Tab. 12 B. C. alteram esse Argonautæ spetiem facile crederem, interna enim, et externa structura ab illo valde difert, sed ego hæc omnia æquissimo sapientissimoque juditio tanti Viri submitto; Alteras forte haberem Nautilorum speties in sedimentis indicis lectas, sed de hac re forte alias, nimius enim nunc essem. Vale diu felix, vir amplissime in augmentum semper Naturalis Historiæ, mihique magni tui nominis obsequentissimo fave, atque iterum Vale.

Dabam Bononiæ ex Museolo meo Sexto Cal: Maji An: 1771.